

Q.R.238,1.


X 2207795



EPISTOLA  
CONSOLATORIA, SCR  
PTA AD CLARISSIMVM, DO  
CTISSIMVM, PISSIMVM, OPTIMEQUE  
meritum virum, Dn. M. CHRISTOPHORVM CAE  
SAREM, Scholæ Halensis vigilantissimum Recto  
rem, lugentem, præmaturum quidem, sed tamen pi  
um obitum filij òuorùμες, Philosophiæ Magistri, ac  
Studiosi utriusq; juris: cui præter carmina quædam  
funebria, condita ab amicis, addita est quæstio  
τῆς Βραχυβίοτητος in multis pijs, antea dedicata  
magnifico, prudentissimo, consultissimoque viro  
Dn. D. LEOPOLDO HACKELMANNO, &c. tempo  
re luctus propter defunctum suauissimum fi  
liolum Fridericum, &c.



DAMBROSIO REVDENIO,  
Professore Ienensi,



BIBLIOTHE  
PONICKAVIANA

IENÆ

Typis TOBIAS STEINMANNI,  
anno Beoyovidas 1599.



*His pagellis continentur.*

- I. Epistola Consolatoria ad Dn. M. Christo-  
phorum Cæsarem.
- II. Carmina funebria, scripta à D. Amb. Reu-  
denio, Dn. D. Samuele Fischero, M. Petro  
Piscatore, Dn. Nicolao Amelungio, & Dn.  
M. Christophoro Cæsare.
- III. Epistola dedicatoria ad Dn. D. Leopol-  
dum Hackelmannum.
- IV. Quæstio de breuitate vitæ multorum pi-  
orum proposita à Dn. M. Laurentio Prä-  
torio Geualiensi Suevo.
- V. Responsio data à D. Ambrosio Reude-  
nio.



Clarissimo

Clarissimo, atq; optimo viro, erudi-  
ta doctrina<sup>1</sup>, singulari virtute, ac vera pietate præ-  
stantissimo, Dn. M. Christophoro Cælari, seniori,  
Scholæ Hatensis ad multos annos dignissimo, vigi-  
lantissimo, ac laudatissimo Rectori, amico suo  
veteri, & sincero,

*Gratiam Dei, pacem Christi, atq; solatum  
Spiritus sancti.*

VM AD DVODECIMVM SE-  
ptembris anni superioris excellentiæ tuæ, natu-  
maior, honestissimus, atque charissimus filius,  
Dn. CHRISTOPHORVS, optimarum disciplina-  
rum, quæ Philosophiæ nomine appellantur,  
humanissimus, atq; eruditissimus Magister, nec  
non vtriusque Iuris solertissimus Candidatus, clarissime, dos-  
tissime, optime, piissimeq; Dn. M. Christophore, senior, Re-  
ctor scholæ Halensis vigilantissime, atq; amice, vt vetus, ita re-  
uerâ perquam chare, & colende, mihi coram familiares istas  
exhiberet literas; quibus pietas tua illum mihi de meliori nota  
(quod dici solet)quam diligentissime commendabat: ego sanè  
**ex** maturo eius aduentu, iucundo conspectu, & quotidiana  
præsentia (vt verum fatear) maximam capiebam lætitiam; ni-  
hilque magis in votis habebam, quam ut, pro tempore ratione  
in ædibus clarissimi, atq; excellentissimi jurisconsulti Dn. D. Li-  
berij Hoffmanni haud incommodum nactus Musæum, haud  
illiberalem contubernalem, haud inconuenientem mentam,  
aliquandiu in Salana, sua præclarè inchoata, continuaet stu-  
dia. Quod ytiq; absq; omni dubitatione lubens, ac latus fecis-

set: si non, & apud nos contagium pestis quodammodo serpere,  
deprehendisset. Etenim, quantum olfacio, hanc potissimum  
ob caussam, iue istac pestifera passim grassante, hinc aliquan-  
tis per secedere, & potius ad patrios redire lares, quam in pere-  
grinis degere locis, voluit. Quamuis intellexerim: eum, aliis  
quoq; adductum rationibus, in charissimam Patriam sub initi-  
um Octobris reuerti, suum induxisse animum. Siquidem inter  
cætera audiuerat, Scholam Ienensem propter mercatum Lipsi-  
cum, & instantem Vindemiam, circa id temporis magna ex par-  
te feriari consueuisse à prælectionibus, atq; alijs exercitiis, ac la-  
boribus publicis. Verum quantum nunc à posteriori judicare  
possimus, animus, illustratus, & gubernatus à Spiritu sancto,  
piissimo isti juueni, procul dubio, præsagijt: quod propediem  
ex hac terrestri, & caduca in cœlestem illam & æternam migra-  
re deberet Academiam. Quocircà Deus optimus maximus ex  
immensa sua sapientia, imò etiam ex ingenti misericordia, ser-  
uum suum fidelem, & in præstandis bonis operibus diligētem,  
breui liberandum à seruitute istac misera, & cura assidua, atque  
perpetua donandū libertate, tempestiuè in salinas reuocauit, &  
quasi retraxit, aut, ut mollius dicam, reduxit: quod scilicet ibi cū  
dulcissimis parentibus suis adhuc semel coram, comprimis de  
rebus diuinis, ac de fragilitate huius vitæ, & firmitate ac consta-  
tia æternè piè colloqui, pro acceptis beneficijs gratias agere, ijs  
vltimum vale dicere, ac tandem, confessio suo curriculo, in ex-  
optatissimo corundem conspectu, & complexu beatam animā  
suam in vera, & constanti fide manibus omnipotentis Dei com-  
mendare, ac suscipiendam, & custodiendam gemebundus tutò  
tradere posset, Quod quidem cum triduo post, gratum quidem  
& acceptum, sed tamen reuerà tristem, & acerbum, redditum, ad  
tertium Octobris (quod omne non caret) intra decimam & vn-  
decimam meridianam anni, proximè elapsi, in præsentia mœ-  
stissimi Patris, ac tristissimæ matris, religiosè, ac piè fecisse: mihi  
primi, verum haud exiguae traditi tristitiae, significarunt hono-  
rissimi,

stissimi, atque eruditissimi juuenes Dn. Adolarius Quetius, &  
Dn. Dn. Antonius, ac Iohannes Freudemann, concordissimi  
fratres, mearum ædiū coniunctissimi inquilini. Quod & ipsum  
lamentabile nuntium posteā ex alijs etiam audiui: atq; in pri-  
mis ex tristissimis mœrentis pictatis tuæ literis, atq; luctuosissi-  
mo illo *ιαλέμω*, nec non ex justis illis funebribus, doctissimo,  
atq; piissimo Dn. M. Christophoro, juniori, bëatæ memoriæ,  
per fidissimos quosdam amicos opportunè factis, quemadmo-  
dùm ex certissimis quoque clarissimorum nonnullorum viro-  
rum παρηγορίαις, nuper ad me missis, sed non sine dolore per-  
lectis, non ita pridèm cognoui. Facile mihi, huius mali, ac ten-  
tationis nō ignaro, persuaderi, patior, pietatem tuam, tanquam  
Parentem Εὐσόργον, periculose & grotantem filium, jam exhala-  
turum animam, & mox, post vltimum agonem dandum ad  
sepulturam, neq; vnquam ad huius vitæ usuram reuensurum,  
tristissimis intuitam esse oculis, dolentiùs, plurimis profusis la-  
chrymis, deplorâsse, atq; haec tenus vehementer, si fieri posset,  
cius redditum desiderâsse. Certò scio, ardentissimas humanitatis  
tuæ σοργὰς etiamnum non prorsus abstinere ab acerbo isto lu-  
etu, à quotidianis suspiriis, atq; ab assiduis querelis: præsertim,  
cùm vt plurima sanctorum hominum, cùm in sacris Biblijs,  
tum in historijs Ecclesiasticis, exempla, testatū relinquant, cius  
modi justus dolor vel à præstatiissimis naturis nō soleat esse ali-  
enus. Profectò (nihil do auribus) præstantiæ tuæ mellitissimus  
Christophorus ingenio eleganti, & ad discendas bonas literas  
satis superq; idoneo, præditus fuit. Græcam & Latinam linguā  
ita calluit: vt in vtraq; orationem eruditam, quæ doctis placuit,  
non solùm solutam, sed etiam ligatam, ornatè scripserit. Quid  
dicam de liberalibus, atque ingenuis artibus: in quibus reuerâ,  
postquam è ludo paterno bona cum gratia dimissus est, brevi  
temporis spatio in duabus celeberrimis Academijs, VViteber-  
gensi nimirùm, ac Lipsensi, tantos, tamq; præclaros fecit pro-  
gressus: vt, post acceptam primam laurcam, ante sesquiannum

A 3

Lipsia



Lipsiæ summo in Philosophia gradu, de consilio, ac consenſu  
amplissimi Collegij Philosophici, publicitus ornatus sit? Reli-  
quum vitæ tempus totum in addiscendo, evolvendo, ac tra-  
̄tando vtroq; jure consumere, animum induxerat, ita tamen :  
nē, quod multi cum dedecore faciunt, studia humanitatis, ac  
pietatis desereret, aut contemneret. Etenim, quod præ omnibus  
alij in hoc humanissimo, ac doctissimo magistro fuit admira-  
tione, ac laude dignissimum, præcipue auditione, lectione, me-  
ditatione, atq; usurpatione incorrupti verbi divini magnoperè  
delectabatur : quomodo eius cùm honestæ actiones omnes,  
tùm in primis optimi, quos diligenter componebat, versus te-  
stabantur. Non dubito quin, si mansisset in viuis, paucis elapsis  
annis, in excellentissimum Doctorem evadere, atque tandem  
Reipublicæ Christianæ maximo viui esse potuisset. Sed præ-  
stantia tua, vbi hæc legerit, procul dubio in hunc erumpet affe-  
ctum, & verba : Atque hæc ipsa cauſa est, &, meo judicio, satis  
grauis: cur tām diu tantoperè lugeam immaturum, repētinum,  
atque inopinatum obitum mei obedientissimi, diligentissimi,  
eruditissimi, piissimiq; ac suauissimi Filij. Omnipotens enim spe-  
rabam, dulcissimum illud mei amoris pignus atq; fortissimum  
meæ senectutis baculum, aliquando, tām mihi, meq; familiæ,  
quam charissimæ Patriæ, atque multis, in difficultates delapsis,  
hominibus, sua arte, suisque donis ornamenzo, & adiumento  
esse futurum. Verum eximia illa spes, quæ anteà mihi osten-  
debatur; quam certam & firmam quoque esse, putabam, nunc,  
proh Deum, nimis mature de functo meo suauissimo juniori  
Christophoro, tota sublata, mihique senescenti, atque indies  
maiori fulcimento indigenti, penitus erepta est. Hanc ob-  
rem illatæ mœstitiæ nondum resistere possum : hinc mihi  
subinde plures cedunt lachrymæ : hæc est illa aduerſa fortu-  
na: quæ mihi quotidie crebros exprimit singultūs. Sed,  
humanissime, atque doctissime Dn. M. CHRISTOPHORE,  
amicæ antiquissime, & longè charissime, quæſo : pietas  
tua,

tua , haud immemor conditionis humanae , in posterum desi-  
stat ab assiduis lamentis , & vltiori querimonia ; mecumque ,  
depositis , & abiectis cogitationibus , quas natura , & ratio di-  
stat , recurrat ad sacrosancta Biblia : ex quibus certe disci-  
mus , atque animaduertimus , optimum , & dilectissimum hu-  
manitatis tuę filium , Dn. M. Christophorum felicis recorda-  
tionis , non incerto Epicureorum casu , non fatuo fatuorum  
Stoicorum fato , non adeò sinistro siderum , ac planetarum  
positu , neque potissimum periculosa istac contagione , non  
denique intempestiuo aliquo vsu esculentorum , poculento-  
rum , medicamentorum , atque aliatum rerum , quæ ægrotis  
applicari solent , ex hac miseriarum valle properasse . Sed , vt  
Dominus illum certo tempore dedit : ita etiam eundem certo  
tempore secundum suum beneplacitum vicissim abstulit . Na-  
scimur in hunc mundum : vt regenerati , justificemur , &  
hæredes scribamur vitę æternæ . Excellentia tua filius reue-  
râ in Baptismo Christo , fratri nostro , credens insertus est : huic  
semper , dum vixit , in vera fide constans adhæsit . Et nè  
præsertim in locis peregrinis , seduceretur , vel à supersticio-  
sis Pontificiis , vel à seditionis Sacramentarijs , vel ab alijs hæreti-  
cis , atq; impostoribus , sicut multi hac peruersa ætate decipiun-  
tur , tempestiuè , hinc auocatus , in vitam translatus est sempi-  
ternam . De alijs & pluribus caussis τῆς βραχυβιοτητὸς in ex-  
cellentia tua beatissimo filio , & alijs multis pijs , non ita pri-  
dèm egi in responce ad quæstionem aliquam , propositam  
de eodsm negotio : quam , anteā , in simili propemodùm ca-  
su inscriptam clarissimo , doctissimo , prudentissimo , pijssi-  
moque viro Dn. D. Leopoldo Hackelmanno , post hac Archi-  
episcopatus Halensis fidissimo Consiliario , Compatri meo  
charissimo , nunc etiam ad tuam præstantiam mittendam es-  
se , censeo . Eaxit D E V S optimus maximus : vt pietas  
tua , deposito grauissimo isto luctu , allatas æquo animo  
susci-

fusciat consolationes; mecumq; & cum universis electis, ad-  
huc degentibus in hoc ingrato & immundo mundo, cupidissi-  
mè expetat, vehementissimè exoptet, atq; avidissimè expe&tet,  
cùm salutarem ex hac miserrima terra migrationem, tum post  
certissimam & lètissimam, resurrectionem, vitam, & beatitudi-  
nem æternā: in qua cum sanctis angelis, beatis hominibus, atq;  
adèò etiam cum nostris, in vera fide præmissis, liberis totam san-  
ctam, & indiuiduam Trinitatem coràm lèti intuebimur, ouan-  
tes admirabimur, atq; triumphantes in omnem æternitatem (id  
quod certissimè credo) perpetuis laudibus, remotis omnibus  
impedimentis, & obstaculis, afficiemus. Valeat humanitas tua  
cum honestissima Coniuge, charissima filia, atq; cum dilectissi-  
mo vnico superstite filio, Ioachimo, nec non cum omnibus Ec-  
clesiæ, & scholæ fidelibus ministris, ac fautoribus in Iesu Christo  
Iēsū Th̄gōπω optimè, felicissimè, ac diutissimè. Datum lenz  
Calendis Maij, anno Geoyovias 1599.

Excellentia, atq; pietatis tua amicus amantisimus  
vetus

D. A M B R O S I V S R E V D E N I V S  
Theologic Professor.

Carmina funebria scripta in præma-  
turum quidèm, sed tamen pium obitum humanissi-  
mi atq; doctissimi juuenis Dn. M. Christophori Cæ-  
saris Iunioris Halensis, &c.

I.

Quando libros voluo sacros, non improbo luctum,  
Quem dolor ex gnati morte subinde parit.  
Sic etenim quondam multiluxere parentes:  
Dum, sibi coniugij pignora adempta, vident.  
Ut verum fatear, præclarus dotibus auctus,  
Christophorus docta præditus arte fuit.

Calluit



Calluit in linguis: Tribuit quapropter eidem  
Lipsia pro meritis iura Magisterij.  
Tandem versabat sinuosa volumina juris:  
De quo sollicitus nocte, dieq; fuit.  
Principi, Patris dum nomen, & omen habebat.  
Semper erat vera religio amans,  
Non modo Christophorus dici, sed, & esse, volebat,  
Christum quotidiè voce, fideq; ferens,  
Ergo Deo placuit: citò quò properaret eundo;  
Et subito ad cælos ingredetur iter.  
Quod quia nunc factum plenè, omni fasce leuatus,  
Incolit aethereas iam sine fine domos.  
Non igitur posthac viui lugemus ademptos,  
Christo, Christophorus, auspice, Christophori.

D. Ambrosius Reudenius.

II.

E P I T A P H I V M.

CHRISTOPHORVS jacet, hâc CAESAR tumulatus in vrnâ,  
CHRISTOPHORI patris nomen & omen habens,  
CAESAR vterque & CHRISTOPHORVS, CHRISTVM ore prof-  
fessi,  
Portantes, CHRISTVM Cæsar vterque fide,  
Ille immatura præceptus morte, Parenti  
Heu desiderium liquit in orbe sui.  
Hic teneros mores format, studiumque juuentæ,  
SALA, vbi tot turres præterit, HALA, tuas.  
Dignus vterque piâ laudeque, & honoribus amplis,  
Ille polo CAESAR, CAESAR at iste, solo.

QVA

B

Ille



Ille fide vitam absoluens, Christi orantuendo,  
Conspictu fruitur, læticiâque Dei.  
Hic Christum corde, oreferens, hac valle dolorum,  
Et dedit & plures dat modò Christophorus.  
Christophorus coniunge animabus, tempore justo,  
(Latetos æternum) corporibusque tuos.  
Christophorus vitam gerere, & nos fata subire,  
Christophorus rursus surgere; Christe iube.

Samuel Fischerus D:  
anthothesias Fr.

### III.

**A**νθρώπων πολυδάκρυον καὶ οἰκεῖον  
ἀδενές τε γῆρας πέλει ἐπ' αἷδας.  
Γευσόμενα πονηράτων μεγίστων,  
ἡδὲ ἀλγῶν, ὁδυνῶντες ποικιλάων.  
Τένεκ' ὅν μάκαρ ἡδὲ παλύολβος  
ὅτις ἐκ βιότοιο ἀφλίσιο;  
Ἐσκαλὰν βιοῖαν, αἰώνιον τε  
Βαῖναι, πέρος βασιλῆα, τὸν Θεοῖο  
Τίον, ὃς πατέρος ἐστι φῶς ἡδὲ εἰκὼν.  
Τοίνυν πέρις μάκαρ ἐστὶ τετράκισ τε  
Καῖσαρ Χριστοφόρος νέθνος κλυτὸς τε  
Παντοίωντα κεκασμένος σαφέστιν,  
Πολλῆσιν τὴν δρεπῆσιν ἡδὲ γλώσσης;  
Καὶ τίσιν θεολερπῆ, ἀκλινῆτε  
Ἐχων, ἔργων τὰς δόμυς ικάνει,  
Καὶ τοῖσιν πολιευμάτεοι, χρᾶται.

M. Petrus Piscator. Profess. Hebraicus.

A D

III.

A D

V I R V M

Clarissimum, Dominum CHRISTOPHORVM CAESAR-  
REM, Gymnasii Halensis Rectorem solertiſſ. do-  
ctiſſ. meritissimum.

CAesar ab innumeris meritis, Meritissime, Cæsar,  
Egregie egregiæ Rexque Paterque Scholæ:  
Audio lachrymulis atque indulgere querelis  
Te nimium ob GNATI fata beata TVI,  
Qui chartis, famæ, populis ævoque loquendum  
Ingenio poterat Se dare abundè suo,  
Si colus immittum sic dispensata fuisset  
Parcarum annos si Vatis habere dies.

Causa querelarum est, fateor, durissima: verùm  
Durior, his qui non nouit habere modum.  
Quem quia tantillus nequeo præscribere tanto!  
Nam cordiflexi Carminis illud opus,

Ad PIA REVDENTIS scripta remitto verendi  
Hæc poterunt lachrymis conciliare modum,  
Quin poterunt etiam reliquorum scripta virorum  
Næniolæque animum mitificare TVVM.  
Quæsi si quid porrò vellem superaddere, id esset  
Clarori tenebras insinuare meras.

Plus æquo lugere tamen desiste: dolores,

Plus æquo qui se macerat, ille nouat.

Debitor ille fuit præmissus ad æthera NATVS

Mortis, nunc morti soluit IS, atque DBO.

O felix, qui sic expungere morte beatâ

Nomen transactâ debitioне potest.

Nicolaus Amelungius Geranus  
ss.Theol.Studiosus.

B 2

EPI-



## V.

## EPITAPHIUM

PRAECLARAE ET EXIMIAE INDO-  
lis Pueri Andreae, Filioli Viri Renerendi & clariss. Dn. Ambrosii  
Rendenij, Sacrosancta Theologia Doctoris & Professoris, in inclita  
Academia Ienensi: qui puer VI. M. FEB. DIE,  
Anno clo 12 XIIC. C. V. annos VII. & menses IX.

## CHRISTI MORS IANVA VITÆ.

**H**OC positus tener est tumulo; post fata, puellus,  
Nondum octauus ei lapsus ut annus erat.  
Ille diem, ante diem, hei obiit, truce morte peremptus:  
Non tamen ante diem finijt ille diem:  
**C**unctornm cunctis, etenim D E V S ipse diebus  
Septa locat vitæ, non superanda, suæ.  
Tristibus abripitur nunc morte parentibus atrâ:  
Mox cupide lætis restituetur ouans.  
Hic sed eis cœli sic restituetur in arce,  
Seiungat junctos ne tamen vlla dies.

Der Todt allein beim jeden Christ/  
Die Thür zum Lehn in CHRISTo ist.

**A**n diesem orth ein kleines Kindt/  
Von Eltern man begraben find/  
Welchs weggerissen hat der Todt/  
Eh danns acht Jahr erreichtet hatt.  
Solchs ist vor rechter zeit geschehn/  
Kündt doch nicht vor der zeit ergebn/  
Weil ziel vnd mass gestecket ist/  
Zu Leben/einem jeden Christ.  
Diss Kindes Todt der Eltern Hertz/  
Gebracht hat ein gros Creutz vnd schmertz:  
Doch es infreunden jhnen bald

Gewünscht

Gewünscht soll werden zugestalt.  
Geschehn solchs in jenm Leben soll/  
Sich da werden erkennen wol:  
Vnnd soll sie nimmermehr kein Leidt /  
Scheiden von solcher Dommelsfrewdt.  
*M. Christophorus Cæsar, S.H.R.*



Clarissimo, & optimo viro, doctri-  
na, virtute, prudentia, veraq; pietate præstantissimo,  
.Dn. LEOPOLDO HACKELMANNO, juris utriusque  
Doctori, ac Professori, Collegæ, Compatri, & ami-  
co suo charissimo, S.P.D.



Vemadmodum non raro alij religiosi,  
sancti q; homines disputant de piorum ex hoc  
Mundo præpropera migratione, clarissime, do-  
ctissime, prudentissime, piissimeq; Dn. Doctor,  
Professor solertissime, atque Collega, Compa-  
ter, & amice charissime: sic non immetit tua  
jam prudentia tanquam ευτοργy Parens, cum dilectissima,  
fidelissimaque Coniuge, queritat, & queritur de præmaturo  
venustissimi, dulcissimiq; filioli, F R I D E R I C I nimirum, bēas-  
tæ memoriae, obitu, vel potius celerrimo à conuersatione, con-  
victuq;, & societate humana abitu. Non autem cæco & incerto  
impudentium Epicureorum casu sine vlla Dei providentia, fe-  
stiuus Fridericulus ex hac vitiosa, & flagitiosa vita tam subito  
decessit: nō fatuum fatuorum Stoicorum fatum lepidissimum  
illud capitulum nobis præter expectationem è manibus eripu-  
it: non sinister, siderum, aut Planetarum positus tenellum pul-  
chelli istius puelli corpusculum debilitauit: & quasi de equulo

prostrauit: non, quēm superioribus aliquot diebus ex viscōsis,  
& lentis halitibus à motu, & siderum radiis in aëre accensum  
vidimus, prænuntius malorum, præceps Cometes minaci, ac  
formidabili aspectu suo ingeniosum, & ingenuum illum pue-  
rulum fascinavit, & deturbauit: non denique nimius ealor,  
consumpto humido radicali; aut grauis, & diuturnus aliquis  
morbus, neque etiam negligentia in præbendis esculentis, ac  
poculentis, alijsque, ad educationem, & sustentationem neces-  
sarijs, adminiculis, nos tām blandiloqui congerronis jucundo,  
ac decenti colloquio tām celeriter ex improviso priuauit. Quæ  
si vera sint, ut, omnino vera esse, firmissimè statuo: cur igitur  
(quærit procul dubio Dn. Compater) blandus meus, & gratio-  
sus filius, quem re verâ maximo prosecutus sum amore, non di-  
utiùs politissimis facetijs suis nos exhilarauit, & recreauit? Cur  
citiùs, quām opinati sumus, de suauissimo nostro complexu  
avulsus, atque abstractus est? Philosophia, charissime Com-  
pater, quantumvis Aristotelica, hīc magis muta est, quām pi-  
scis: Theologia adienda, & consulenda est. Hæc Ἑγαγ-  
Γιότης huius, de qua in præsentia sermo est institutus, verè  
veram ostendit, ac patefacit caussam, cùm efficientem, tūm fi-  
nalem. Ibi non tantūm singularis Dei voluntas, & dilectio  
expendenda venit: verūmetiam consideranda est perfecta ho-  
minis pījætas in spirituali prudentia, vita immaculata, & abso-  
luto vitæ curriculo. Imò spectanda quoque sunt peccata,  
tām propria quām aliena, hereticorum videlicet, populi, ma-  
gistratus, parentum. Hīc obseruandi sunt fines, tūm eorum,  
qui, credentes, celeriùs hinc discedunt, respectu; tum aliorum,  
qui, illis sublati, in tertiarum orbe plures adhuc consumunt  
annos. Certè pīj, citiùs obdormiscentes, citiùs conformes si-  
unt imagini Christi, citiùs testimonium dicunt de doctrina, ci-  
tiùs immunes sunt ab insidijs mundanis, citiùs liberi sunt ab  
imminentibus calamitatibus, citiùs quoque testantur, futurum  
judi-

judicium , secuturam immortalitatem & restare aliam vitam .  
Cæterum , qui diutiùs in hac vita manent superstites , aut ,  
paulò diligentius præmaturum sanctorum obitum examinan-  
tes , ad veram inuitantur pœnitentiam : aut , spredo Dei verbo ,  
perseuerantes in flagitijs , ad maiores reseruantur pœnas . Quo-  
modò , si ita placet , excellentia tua ex propositi problematis  
qualicunque explicatione cognoscet , & intelliget . **C H R I S T V S**  
**I E S U S** , Filius Dei vnigenitus , qui & ipse mortuus est , per Spi-  
ritum sanctum , & auditionem , lectionem , ac meditationem  
verbi pietatem tuam in grauissimo hoc luctu efficaciter conso-  
letur : eamque cum letissima , dilectissimaque uxore , nec non  
cum charissimo , suauissimoque filio , juniore **L E O P O L-**  
**D V L O** , atque adeò cum universa familia diutissimè sal-  
vam servet , ac incolumem . **I E N A E , 19. Augu-**  
**sti , ANNO Σεαυθρωπογονίας**

1596.

*Excellentia , ac Prudentia tua Studiofissimus  
Compater*

**D. Ambrofius Reudenius ,**  
pro tempore Facultatis Theologicæ De-  
canus .

*Quæstio*



# OYÆSTIO

De brevitate vitæ multorum pio-  
rum proposita à Dn. M. Laurentio Prä-  
torio Sueco, &c.



Vandoquidem in more, institutoq; maiorum positum est; vt nō tantum in Doctorem, quomodo proxima vidimus hebdomade, verūmetiam magistrorum, quas vocant, promotionibus quædam, auditoribus vtiles, agitantur, & tractentur quæstiones; & hoc onus, vel potius honos, à spectabili Dn. Decano, Præceptore, & promoto-  
re nostro debita obseruantia plurimùm colendo, mihi jam, quantumvis ad dicendum non adeo idoneo, imponitur, ac defertur, magnificentissimi Dn. Dn. Rectores, magnifici Dn. Dn. Prorectores, illustrissimi Principes, generosi Barones, reue- en- di, clarissimi, doctissimi, humanissimi, atq; hōestissimi Dn. Professores, Doctores, Magistri, Senatores, nec non nobiles, & stu- diosi adolescentes: idcirco etiamsi meam in inueniendo, dispo- nendo, & eloquendo libenter agnosco incogitantiam, impru- dentiam & infantiam; fatus tamen auxilio diuino, & totius huius auditorij singulari benevolentia, spectatæ dignitatis viri mandato obedientiam præstādam esse, persuasum, ac statutum habeo. Dum autem, inter cætera summi, ac præstantissimi Ari- stotelis præclara, & luculenta scripta, illum quoq; non magnū, verū m aureolum, quem ἦργον μακροβιότητος, καὶ βεαxυβιότητος de

de longitudine, & breuitate vitæ scripsit, libellum inspicio, evolvo, perlego, admiror: ecce animadvero, & disco, nobilissimū, & acutissimum, cuius anteā mentionē feci, philosophum statuere, ac sentire, hominem ex animalibus, quemadmodū & elephantem, viuere diutissimè. Rationem affert istam. Nam, inquit, longissima vita est eorum, quæ ex terra oriuntur: Deinde eorum animantium, quæ sanguinem habent, longior est, quam corum, quæ carent; & terrenorum, quam aquatiliū. Itaque, in quibus hæc duo cōiuncta reperiuntur, ut & sanguinē habent, & terrena sint, longissimam degunt vitam. Id quod de homine dici posse, affirmat. Verū idem speculator, venatorque naturæ in eodem, cuius modò memini, libro, alij homines, ait, diu vivunt, alij minūs, qui pro aliorum locorum temperatione differunt. Genera enim hominum, quæ loca calida incolunt, diutiū viuunt: breuior vita eorum est, quæ frigida. Atque etiam in eorum, qui eadem loca incolunt, nonnullis hæc ipsa dissimilitudo reperitur. Caussam, arbitratur, esse, vel magnam, vel parvam humoris, & caloris copiam. Etenim, ut incrementi, & vite caussa est color is, qui humoris est particeps: sic opinatur, facile morte deleri illos, in quibus humidum radicale à calore prorsus consumptum est. Sed, ut hæc, & similia sapienter ab homine ethnico, & scripturæ sacræ ignaro dici, non nego: ita maximè vellem; ut etiam quererentur & inuenirentur caussæ: quam obrem plerunque homines pij, quantumvis interdum non malis prædicti temperamentis, neque ingluvie, ingurgitatione, aut alijs vitiosis actionibus, & sceleribus sibi morbos contrahentes, citius ex hac migrant vita, quam alij, non raro indulgentes genio, heluantes, & nihil non, quo sibi ipsi necem consciente videantur, tentantes, & machinantes. Certè cum charissimis meis competitoribus alienus sum ab Epicureis: qui, ut omnia casu nasci, sic etiam omnia casu sine prouidentia diuina interire, opinantur. Stoicorum fatuum fatum vehementer detestor; illudque cane peius, & angue odi: neque, cius dominum

nium in piorum vita, & morte cōspici posse, admitto. An igitur siderum impulsu, & sinistro Planetarum positu pleriq; veris ex Christiāis hunc ingratum, & immundū celerius relinquunt, & auersantur mundum? De astrologia, seu astronomia, que de Platonis sententia scientia est περὶ ἀστρωνύμων φορᾶς, καὶ εὐλαύτων ὥρας, de siderum motu, & annorum tempore, haud immerito omnes, quotquot jam in hac collocati sumus cathedra, præclarè sentimus. Amplectimur quoq; & prædicamus ista: quæjam clarissimus, & doctissimus vir Dn. M. Georgius Lymnaeus mathematicū Professor eximus, &c. de Solis corpore, Spiritu, calore, vita, atq; effectu in hęc inferiora, & in primis in hominem atq; adeò de analogijs Solis & hōinīs subtiliter & copiosè disseruit. Sed, quemadmodum superstitiones astrologicas diuinationes reiijcimus & aspernāur: sic quoq; inde nihil de præmaturo sanctorum obitu judicij fieri posse, affirmamus. Quid, quæso, de illis dicamus Philosophis: qui morborū ac mortis causam in materia quærunt: quam nativo quodam impetu, & appetitu ad alias formas ruere asseuerant? Profecto, quāuis Aristoteles, Epicureis, & Stoicis Philosophus lōgē præstantior, rationis iudicium secutus existimarit, assiduas generationum & corruptionum in plantis, & omnib. animantib. vices quotidie ita rueret, ire, ac redire propter vagas in materia priuatiōes; quamuis illi quoq; Christiani, qui immatura afficiuntur morte, vsitatē quibusda affligantur morbis: attamen Σεαχυσιότητος huius principalis & certa causa non preceps materię casus esse videtur. Vnde intelligimus, Philosophiā, quantumuis Aristotelicā non monstrare fontē huius mali, si modò malum est nuncupādum; quando opinione celerius in Christo obdormiunt pij. Quæcūm ita sint; & rationes istæ, quas, ex diuersis diuersorum Philosophorum scholis sumptas, jam ea, qua in præsentia potui, breuitate ac perspicuitate in medium attuli, aut nihil, aut parum afferant adiumenti ad propositam questionē declarandā: de hac materia consulendos potius; & audiendos, censeo, sanctos Prophetas & Apostolos; quorum libros me certiorem

facere, & edocere, deprehendo de mortis causa, cum extērna,  
cum interna. Ad externam fortassis haud intempestiuè referri  
posse videtur Diabolus, mundi huius princeps, atq; mendacij,  
& hōicidij author: qui, etsi de bēati Petri sentētia circumit, tā-  
quām leo rugiens, quærens, quem deuoret, iracundius tamen,  
& rabiosius in Ecclesiam, & viua eius nībra, quām in alios ho-  
mines, sequit, furit, grassatur, debachatur. Sic in primo Geneseos  
libro Iehoua Deus, inimicitiam, ait, ponā interte, & mulierem,  
& semen tuum, & semen illius; ipsum, semen nimirūm, qui est  
**Christus Ἰάνθωπος**, cōteret caput tuum, & tu insidiaberis cal-  
caneo eius. Apud lobū Satanas tām impudens est: vt stet inter  
filios Dei, & insidias struat sanctis. Verūm etiā si draco iste ma-  
gnus, & serpēs antiquus generis humani acerrimus, atq; infe-  
stissim⁹ sit hostis; nec non in impijs efficaciter operetur: nō ta-  
men mendax, & homicida iste plus potest, quām Deus, cui est  
subiectus, illi permittat. Quo circā tantūm abest; vt fideles Dei  
seruos interimat: vt etiam ab illis, firmiter credētibus, superes-  
tur. Quid, si in intimis hominis visceribus, ac pr̄cipuis viribus  
mortis causam perquirāus, & inuestigemus? Etenim ibi omni-  
um malorum, omnium scelerum, omniū deniq; pœnatū, atq;  
adeò etiā ipsius mortis fontem reperiemus, & aperiemus, pec-  
catum videlicet originis: quo in vniuerso mundo nihil atrocit,  
nihilq; crudelius, & nocētius vel cogitari, vel dīci potest. Hinc  
n. idololatria, & hæreses, hinc numinis divini cōntēptus, hinc  
proximi odiū, hinc erga parētes, præceptrores, & magistratum  
inobedientia, hinc cēdes, hinc heluationes, stupra, & incestus,  
hinc rapinæ & furta, hinc conuitia, & maledicta, hinc deniq;,  
vt summatim dicam, omnis generis mala, tanquam ex pyxide  
Pandorę, vt apud Hesiodum legimus, prouolant, & totum ter-  
rarum orbem complent, ac submergunt. Sed sicut peccatum  
in omnibus reperitur hominibus: ita etiam omnes propter il-  
lud moriuntur; siquidēm, vt Apostolus docet, stipendiū pec-  
cati mors est. Quæro autem nunc; & cum collegis meis scire,  
aueo; quī nam fiat; quod multi pij, quamvis aliās cōmoda sint

valetudine, & reipublicæ christianæ plurimū adhuc prodesse  
queant, citius tamen, quam alij è vita hac decedant. Quam  
quæstionem, præsertim hac vitima Mundi senecta, maximè  
necessariam, maximèq; utilem esse, judico. Verùm, quia maxi-  
ma ex parte Theologica esse, Theologorumq; φρονίδας mereri  
videtur: ideo reverendum virum Dn. D. Ambrosium Reude-  
niū magnopere rogatum volo: vt is pro sua erga collegium  
Philosophicum, & me, meosque in hoc honore socios singula-  
ri benevolentia, & propensa voluntate problema hoc ex verbo  
Dei excutiat, & explanet; atque, istum ad modum de studiosa  
juuentute benè mereri, non grauetur. Id quod frequenti the-  
atri huius confessui procul dubio valde erit gratum, & à facul-  
tate Theologica haud alienum. Atque pro præstito officio re-  
promittimus animi grati memoriam, & promptam ad  
inscriuendam voluntatem.

*Responsio data à D. AMBROSI O  
REVDENIO.*

**T**isi, meo me metiens pede, libenter in-  
genij mei agnosco imbecillitatem, & ad dicen-  
dum infantiam; ac propterea difficulter in pu-  
blico verba facio, magnificentissimi Dn. Re-  
ctores, magnifici Dn. Prorectores, illustrissimi  
Principes, generosi Barones, spectabilis Dn. De-  
cane, reverendi, clarissimi, doctissimi, humanissimi, atque ho-  
nestissimi Dn. Professores, Doctores, Magistri, Quæstor, Con-  
sules, senatores, nec non nobiles, & studiosi adolescentes: ta-  
men, cùm consuetudo, in illustri hac Salana recepta, mihi pro-  
bè perspecta, atque cognita sit; & humanitas tua, humanissime,  
ac doctissime Dn. Magister, à me petat, & contendat; vt in gra-  
tiam frequentissimi huius auditorij dissolvam, & explicem  
quæstionem, propositam de brevitate vitæ in multis Christia-

nis:

nis: ego sanè, habita ratione temporis, & loci, ἀνευ περιμήσ, καὶ  
παθῶ id facturus sum, orans Deum optimum maximum ar-  
dentibus votis, ac veris gemitibus: vt, sicut præcedentibus, ita et-  
iam mihi Spiritu sancto suo propter Filium, mediatorem, præ-  
stò esse, non dedignetur. Nolo autem jam ad ista responde-  
re: quæ industria tua in medium attulit, cùm ex philosophia  
de incerto Epicureorum casu, de fatuo Stoïcorum fatō, de di-  
vinationibus ex astris, & de mutabili Aristotelis materia; tum  
ex Theologia de crudeli Cacodeemonistyrannide, impudenti-  
bus mendaciis, & nefarijs homicidijs, atq; de peccati originalis  
quotidiana sæuitia, & infinitis sceleribus. Etenim, vt spectatæ  
dignitatis viri Dn. Decani, collegæ, & amici charissimi erudi-  
tam & splendidam, quam de clari solis corpore, spiritu, calore,  
vita, virtute, & efficacia perspicuè, & copiosè habuit, oratio.  
nem amplector, & exoscular: ita, Dn. Magister L A V R E N T I,  
tua quoque placita, eo animo, & modo, quo abs te prolata, &  
correcta sunt, approbo & suscipio. Veras tamen investigave-  
rimus, & patefecerimus caussas, ad problema illud declaran-  
dum accommodatas: ubi ostenderimus, quo authore, &  
effectore, quo tandem fine plerique ex vivis veræ Ecclesiæ  
membris tam subito lucis huius intermittent usuram. Profe-  
ctò vt à numine, & nomine divino initium in vera fide duca-  
mus, sapiens sapientissimi Salomonis sapientia sapienter lo-  
quitur: dum capitis quarti versu decimo, ἐνάγεται, inquit,  
τῷ Θεῷ, placet electus, & pius homo Deo; quando cum ex  
hac vita citius evocat: Siquidèm eo cum tempore ex hac mi-  
seriarum valle avocare consuevit, quo ille ei maximè charus,  
gratus & acceptus est. Ἀρεστὴ γὰρ ἡν κυρίων ψυχὴ αὐτῷ, place-  
bat Domino (sequitur paulò post) anima ipsius, non propter  
propriam dignitatem, sed propter meritum I E S U C H R I S T I;  
quod pius fide sola apprehensum sibi applicat. Imò tota san-  
cta, atque indiuidua Trinitas credentem mirificè diligit. Pro-  
pter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis. Mo-

uetur tamen, & quasi incitatur Iehouā Deus, & perfecta ho-  
minis pīj ætate, & multiplicibus, ac varijs peccatis. Sene<sup>c</sup>lus  
enim venerabilis, & honore digna est, non illa, quæ diuturna,  
& longæua est; neque illa, quæ annorum multorum numero  
computatur: sed vera canicies est prudentia, recte intelligens  
doctrinam de essentia & voluntate Dei; atque vita immacula-  
ta, non inquinata flagitijs, & sceleribus. Ad hæc consum-  
matus, siue perfectus factus est pius homo in breui spatio,  
paucis, quos vixit, adeptus annis illam perfectionem; quæ in  
pium hominem in hac vita cadere potest. Etenim Christi  
sufficiens λύτρον, & justitia imputatiua, quam appellant, omni-  
bus numeris absoluta, omniumque perfectissima est. Deinde,  
quanquam nouæ obedientiæ plurima adhuc desunt: persona  
impenitentia reconciliata propter Seruatoris obedientiam Deo pla-  
cat: atque, collata cum impijs consummata est: quando il-  
lam accepit perfectionem; Cuius in hac vita Christianus ho-  
mo capax fieri potest. Qualis porrò consummatio hoc in  
loco intelligenda sit, etiam hæc, quæ adduntur, demonstrant  
verba: expleuit tempora longa, seu multa, non quidem ma-  
thematicè vbi quilibet annus duodecim mensibus, siue quin-  
quaginta duabus constat septimanis: sed spiritualiter ut an-  
te<sup>r</sup>a explanauimus, juxta canitionem in cœlesti sapientia, & seni-  
lem ætatem in vita intaminata. Præterea pīj s<sup>e</sup>pe à mundi  
huius hominibus maturius eripiuntur propter delicta, tam  
propria, quam aliena. De propriis peccatis loquitur Iere-  
mias capite 31.30. inquiens: vnusquisque in iniuitate sua  
morietur. Certe Aäron Sacerdos summus, eiusque frater  
Moses, nec non alij ex Israëlitis licet per circumcisionis sacra-  
mentum, & promissionem gratiæ vera apprehensam fide, in-  
cedere fuerint cum Deo, & inserti Ecclesiæ: citius tamen  
orte mulctati fuere propter inobedientiam, dubitationem,  
que adeò propter peccata actualia. Quod genus non pauca  
suppe-



suppeditat exempla historia Ecclesiastica, & experientia quotidiana, Sed solent quoque maturius ad vitæ exitum vocari constantes religionis sinceræ patroni propter peccata aliorum, ut hæretorum, populi, magistratus, parentum. Maximum & execrandum peccatum est hæretorum, & falsorum in Ecclesia doctorum: qui non solum pestilenti hæresi, & perniciosis erroribus auditorem mentes imbuunt, inficiunt, & seducunt; verum etiam semper sanguinariis molitionibus magistratum, & populum instigant: ut recte sentientes, ac docentes premant, persequantur, & occidant: cuius rei Actorum 7. in trucidatis vatibus, & lapidato Stephano expressum habemus testimonium, & perspicuum exemplum. Hanc ob caussam cum primis regna, & vrbes euertuntur; illoque malo persæpè & boni implicantur. Ieremia enim in lamentationibus testante; propter peccata pseudoprophetarum, & iniquitates sacerdotum, qui effuderunt sanguinem justorum, tot, & tanta eueniunt mala, Imò religionis veræ mutationem, dogmatum falsorum introductionem & corruptelarum pestiferarum approbationem omnibus temporibus magnæ secutæ sunt turbæ, horrendæ vastationes, tristes cædes, aliaque innumera pericula. Populus insuper, & subditi inobedientia sua, ingratitudine, & alijs peccatis non raro in culpa sunt: cur interdum pij magistratus, pijq; Principes præmaturam oppetant mortem, 2. Paralip. 19. 10. vt non peccent (subditi) in Dominum, & ne veniat ira super judices, & principes. Nam, qui, cum posset, delicta non prohibet, vñà cum ijs, qui peccant punietur. Eccl. c. 8. 9. interdū dominatur, ait, homo homini in malū suum, hoc est, multi homines in alios affectant imperium, seq: ita beatos fore, putant; si regant potius, quam, si ab alijs regatur. At multis imperium exitium attulit. Qualia multa in Romanorū Imperatorum historia extant exempla, præsertim eorū, qui ante

Con-

Constantinum Magnum vixerunt: quorum plerique, & quidem à subditis, trucidati sunt. Contra ob Magistratus peccata interdum punitur, & perit populus. 1. Regum 20. 42. Elias ad Regem Achab dicit: Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte ( blasphemum nimis regem Benadab ) de manu tua: erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Vnde intelligimus, magistratum intempestiuam erga sceleratos clementia offendere Deum; sibiisque, & suis attrahere exitium. 1. Paralip. 21. 14. Propter Davidis regis peccatum populus peste occiditur; Misit (ait textus) Dominus pestilentiam in Israël: & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum. Sacræ porrò testantur literæ; parentum quoque peccata sæpenumerò in caussa esse; cur liberi vitam cum morte commutent. Quomodo Samuelis secundo capite 12. 14. propter adulterium, & homicidium, factum à Davide, mortuus est eius filius, procreatus ex Bethsabea. 1. Regum 14. filius Ierooboam Abia propter delictum patris mortem obit. 2. Regum 2. 24. egressi sunt duo ursi de saltu: & lacerarunt quadraginta duos pueros. Cuius poenæ caussa propinqua, πενατερη, & ἀφορμή esse quidem videtur puerorum istorum petulantia, & erga vatem Elisæum irreverentia. Verum remota, πενατερη, & principalis caussa sine dubitatione parentum fuit impietas, & ignavia in liberis istis Bethelensibus educandis, & informandis. Ante annos circiter ducentos in oppido Saxonie Hammelia res, non modò visu, & auditu horrenda; sed etiam toti Visurgi acerba, & luctuosa accidit. Nam istius anni, quo tragœdia hæc acta est, die Iacobi vir quidam Thersitæ Homericæ similis, tunicam gerens distinctam colore viridi, & flavo per portam Visurgis in oppidum ingressus est: cumque tibiæ cantu multitudinem puerorum ducentorum, qui nondum ex ephebis excesserant, ad se inuitasset; eosdem per portam oppositam ad collem oppido vicinum

vicinum traduxit: quo h[ab]ente, universa multitudo, tribus  
tantū exceptis, sic absorpta est; vt nulla deinceps cada-  
uerum vestigia, quantumuis diligenter quæsita, deprehendi  
potuerint. Vnde satis, superque intelligimus, liberos  
quandoque puniri, & citius mori propter peccata paren-  
tum: quorum eos magis pœniteat; cùm duleissimorum pi-  
gnorum vident dolores, miseras ac interitum. Sed, de au-  
thore, & caussis impulsu[m], quas in logicorum scholis vo-  
cant, τῆς Βραχιβότης in quibusdam Christianis, hæc in  
præsentia breuiter dicta sufficient. Restat finis συζητήσεως  
huius strictim attingendus, tum ipsorum, qui in hac vita  
citiūs [piè] obdormiunt, respectu; tum aliorum; qui, illis  
defunctis, in eadem diutiū manent superstites. Fines,  
si in vera fide hinc migrantes inspexerimus, & consideraueri-  
mus, ex fontibus Israël fluere, atque manare videntur  
quinque. Primus est: vt sancti, sicut gentium affirmat  
Apostolus, conformes siant imagini Christi: qui non usque  
ad eos diu in mortali hac commoratus vita est; sed, plurimis  
acerbissimis afflictus calamitatibus, per mortem turpissimam  
in æternam suam ingressus est gloriam. Ad eundem fermè  
modum, quos Deus ex immensa misericordia in Filio ad  
vitæ, & gloriæ æternæ elegit societatem, vult, aliqua ex par-  
te vestigijs Christi insistere, eiusque imagini ita conformari:  
vt varias perpessi ærumnas, in mundo contempti, & ab-  
iecti sint; atque tandem per afflictiones multifarias in vi-  
tam, & gloriam ingrediantur sempiternam. Alter finis  
est: vt sanctorum Martyrum mors præmatura, quam ty-  
ranni, & alij veræ Ecclesiæ hostes inferunt, testimonium di-  
cat de doctrina: quod verè sic sentiant; nec sui commodi  
causa istanc circumferant doctrinam: sed omnia vitæ hu-  
ius bona, opes, honores, coniuges, liberos, & vitam  
ipsam amittere malint, quam à veræ, & incorruptæ religio.

D

nis



nis professione discedere. Psalmo 116.15. Pretiosa in con-  
spectu Domini mors sanctorum eius 2. Tim. 3.12. Omnes,  
qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem pati-  
entur, juxta exempla Esaiæ, Ieremiæ, Iohannis Baptistæ, Pau-  
li, &c. Sed inquit Regius Propheta David Psalmus 126.5.  
*Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Quod ad*  
tertium attinet finem, Sapientiæ 4.11. raptus est pius : nè  
malitia, omnis generis scelera complectens, mutaret; ac de-  
prauaret ingenium, ac intellectum eius: aut, nè fictio, dolus,  
fraus, siue falsa doctrina, ut noster interpretatur Lutherus,  
deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis, vel im-  
probitatis, aut fascinum vanitatis obscurat, quæ bona, & ho-  
nesta sunt, id est, malitia, & falsa religio quasi nebulas fasci-  
ni obducit, & præstringit etiā virorum optimorum animos:  
ut falsiorū falsis fascinati opinionibus, non possint cerne-  
re verum; sed pro eo amplectantur, & sedentur falsum. Cuius  
deceptionis hęc postrema mundi senectus plurima suppedita-  
tate exempla, in illis potissimum: qui, etsi non destituuntur fi-  
delibus parentibus, & orthodoxis præceptoribus, ac concio-  
natoribus: tamen, cùm eorum avidæ aures nimium nouitati-  
bus, & superbæ rationis, ac vocis humanæ blanditijs pateat;  
quorundam inpostorum χειρολογίας, & εὐλογίας, ut Aposto-  
lus vocat, ita dementantur, & seducuntur; vt, (quod auditu  
horrendum est) potius Esauitarum, Caluini, & Bezae assenta-  
tores, quam Christi, & Lutheri sectatores perhiberi velint.  
Sic oculus teneros mangonum fascinat agnos. Quin vaga  
cupido, concupiscentia, inconstantia, & circumductio quasi  
in gyrum plerumque hominum hebetat sensus: ac, velut irri-  
tamentum malorum, peruerit, atq; immutat mentem, etiam  
illorum; qui prius fuere sine malitia: & tamen postea volu-  
ptatibus humanis ita inescantur; vt, quasi abrepti, in pestifera  
vitia, & nefanda scelera prolabantur. Quartus breuitatis

vitæ

vitæ finis est: ut pij immunes sint ab imminentibus tragicis  
pœnis. Esaiæ 57.1. Ille qui imputatione, & inchoatione ju-  
stus est, perit, citius sublatus ex hoc mundo, vel à tyrannis,  
vel vulgari mortis genere: & non est quisquam in occidente,  
& ignavo populo; qui cum animo suo reputet, quo Dei con-  
silio id fiat; & quid sibi velit intempestiuus hominis pij o-  
bitus. Non dissimili modo homines misericordes bene-  
fici, ac religiosi colliguntur, & ex hoc seculo ad maiores su-  
os congregantur, nemine aduertente & perpendente: quan-  
tam jacturam faciat Ecclesia, amissis eiusmodi excellenti-  
bus, cordatis, & constantibus in retinenda, & propaganda in-  
corrupta doctrina viris. Verū menim uero à facie malitiæ,  
vel, ante aduentum ipsius mali colligitur justus: ne videlicet  
impendentes calamitates eum attingant; sed, ut præmaturam  
per mortem illis subtrahatur. Quintus finis, hīc recitandus,  
est: ut præpropera sanctorum ex his terris festinatio sit testi-  
monium de futuro judicio, de immortalitate, & de alia vita;  
in qua pijs benè sit. Etenim, cùm Deus suis promiserit bo-  
na; & hīc eos horribiliter premi, & nonnunquam ab impijs  
quoq; opprimi sinat, & tamen apertis testimoniis ostendat,  
se illos, quos mundus propter sinceram confessionem per-  
sequitur, summo prosequi amore: necesse est, aliam restare  
vitam; in qua bonis cumulentur boni; mali vero malitiæ, &  
nequitia condamnati, justas, & æternas dent pœnas. De sen-  
tentia Esaiæ Prophætæ, qui ambulant in æquitate, & in hac  
vita bonam militant militiam, habentes fidem, & bonam  
conscientiam, vbi à Deo euocati fuerint, fruuntur pace, ac  
tranquillitate; eorumq; corpora vsq; ad diem resurrectionis  
dormiunt, & requiescent in sepulchris: quæ vates hīc non  
temere *mischkabbóth* cubilia, siue, vt Lutherus expōit, cubi-  
cula, aliás *chadarím* conclauia vocat. Authori libri sapientiæ  
justus, si præmature obierit, in refrigerio, & quiete erit.

D 2

Gaudea-



Gaudemus igitur, obsecuti Christo, & exultemus: quoniam merces nostra copiosa in cœlis est. Reliqui sunt fructus, quos ex improviso piorum discensu percipiunt, tamen pœnitentes, quam impenitentes; ut ita cum Theologis nuncupemus. Singulari Dei beneficio semper adhuc aliqui reperiuntur: quos monitos, faciunt aliena pericula cautos. Inveniuntur, inquam, quamvis numero pauci: qui, paulò diligentius immaturum sanctorum abitum introspicientes, ad veram agendam inuitantur pœnitentiam, concipiunt fidem, colunt Deum, & diligunt proximum. Sic Iehoua impedit, facies eorum ignominia: ut querant nomen suum. Quocirca melius est, ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij. In illa enim considerat homo: quis finis omnium sit mortalium; quodque semel omnibus sit moriendum: Quia autem mors certa, & eius hora incerta; atque nescimus, qua hora Dominus noster venturus sit: idcirco vigilemus; nosque quotidie in vera fide, spe, & charitate exercemus: quo singulis horis, ac momentis, tum ad beatam ex hac vita migrationem, tum ad gloriosum Christi aduentum parati simus. Ceterum mundus jam totus in maligno positus est, vt Apostolus loquitur: & plerique contempto Dei verbo, ac necessarijs fidelium ministrorum spretis, & repudiatis concessionibus, perseverant in flagitijs; atque nolunt, quantumuis admoniti, ad meliorem se recipere frugem. Ideo sapiens, & omnipotens Deus liberat a mundi huius miserijs, & calamitatibus pios: vt, illis non amplius hic degentibus, tandem opportunijs ad debitas irrogandas pœnas peruenire possit. Etenim, tametsi veri Christiani, quorum voluntas in cœlis est, non sunt de mundo: tamen, viventes in mundo, ardentijs suis precibus iræ diuinae ita obsistunt; vt ad supplicium sumendum, & judicij executionem Deus non statim queat accedere. Quomodo Abrahamus patriarcha, sc-

xies pro viribus perdendis supplicando, impetrasset; ut misericors Deus illis pepercisset: si modò decem saltē justi ibi inuenti fuissent. Lotus intercessit pro oppido Zoar: & precibus, quod voluit, obtinuit. Sic tertius Elias, & Germaniae nostræ Germanus Propheta, donec in hac vita versatus fuit, Spiritus sancti instinctu, quotidianas, & ardentes fudit preces: atque ita se in urum opposuit aduersus, alias justissimam, iram Dei. Verum, illo defuncto, Carolus Quintus Cæsar sine mora, Pontificiorum impulsu, periculosem intulit bellum Protestantibus, constantissimum cœpit Electorem Dn. Iohannem Fridericum, &c. Illustrissimorum nostrorum Principum, Ducum Saxonie, &c. sapientissimum & pientissimum auum, atque imperij statibus perniciosum, quod vocant, curauit obtrudi interim: ex quo, præter alia publica, & priuata incommoda, multi originem traxerunt errores; qui, proh dolor, hactenus miserè nostras lacerârunt, & distraxerunt Ecclesiæ. Qualis etiam secuta sit mutatio immaturum, & tamen piū, illustrissimi, clementissimi, fortissimi, piissimiq; Principis, ac Ducis Saxonie Dn. Iohannis V Villi bēatæ memoriæ obitum: quantum mihi constat, notius est, quām vt à me hac temporis angustia odiosè debeat repeti, aut cum tædio inculcat. Paucis his annis in Euangelicis, atq; adeò Lutherenis Ecclesiis, nec non in Ducatu Saxonico, aliquot occubuerunt illustrissimi Principes; qui ætatis ratione plures adhuc viuere potuerint annos: aliquot item decepsere clarissimi Theologi; quorum sana doctrina, & assidua pro cæteris hominibus intercessiones, si auditores non nubilum negligentes, & ingratiti fuissent, diutius reipublicæ Christianæ prodesse, valuerint: aliquot itidem præinaturè alij obierent honesti atq; utiles viri, nec non primariæ fœminæ, castitate, fide, ac pietate præstantes. Ergo inde concludimus propter summā erga Deum ingratitudinem, propter extremum verbi divini contemptū, eiusq; fideliū ministrorum, propter

improbam variorū errorum defensionem, propter affectatam in officio faciendo negligentiam & detestandam πολυπειρησόνην, propter nefarias cædes, flagitiosas libidines, & multiplices usuras, propter denique innumera alia atrocia peccata, quibus jam vniuersa passim scatet Germania, concludimus, inquam, necessariò graues, justas, ac tristes secururas poenias. - Nam, quemadmodum pij, dum adhuc in hoc degunt mundo, quotidianis, & in vera fide factis precibus, se opponunt iræ Dei, moram, & impedimentum communibus, & fatalibus impendentibus calamitatibus inferentes: sic ijdem, quando ex turpissima hac vita migrant, vaticinantur, cùm caussæ iram Dei irritantes, non mutentur, de ingrumentibus maximis ærumnis, ac miserijs. Quod cùm ita sit; nos, qui adhuc in viuis sumus, veram agamus poenitentiam, doleamus propter admissa peccata, credamus in Christum, offeramus Deo hostias spirituales, juuemus quisq; pro modovocationis sinceræ, & incorruptæ doctrinæ, comprehensiæ corpore Thuringico, & libro Cōcordiæ, propagationem, falsa vitemus dogmata, eorumque cùm clandestinos, tum manifestos patronos, non simus πολυπειρησόνες, ἀπειρησόνες, & ἀλλοτριοεπίστοωι: sed in sedula mandati muneris functione nos contineamus intra metas; atq;, cùm hac ultima ruinosi mundi senecta nunc omnia ruinam minari, videantur, quotidie, gubernati à Spiritu sancto, ad omnipotentem, ac misericordem Deum humiles, ac supplices fundamus precies, obtestantes: ut ille pro ineffabili φλανθρωπia propter Christum, μετίτην, καὶ ικέτην nostrum, non totam accendat iram suam, neque furorem faciat iræ suæ: sed in ira misericordiæ recordetur; atque calamitates imminentes aut dif. ferat, aut tollat, aut mitiget: nosque omnes, credentes, & in agnita veritate usque ad ultimum vitæ spiritum constanter perseverantes, tandem tempore opportuno juxta maiestatis suæ decretum ex his miserijs, & calamitatibus ad se transfe-  
rat

rat in vitam cœlestem: quò ibi perpetua perfruentes læticia,  
cum sanctis angelis , ac beatis hominibus Deum , unum in  
essentia , & trinum in personis , videamus facie ad faciem ;  
cumque ouantes ac triumphantes , in omnem æternitatem  
collaudemus. Atque hæ sunt istæ causæ, cum efficientes ,  
tum finales : quamobrèm multi ex veris Christianis citius,  
ut nos judicamus, ex hoc fallaci & fragili mundo auocentur;  
& à Christo, Sole justiciæ, in locum, vniuersis, ac singu-  
lis beatis destinatum, transferantur, &  
benè collocentur.

F I N I S.



Ra 4592. Ak

316

# Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

0  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

